



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

Compater Neapolitanvs. Peregrinvs. Hospes Sicvlvs Collocvtores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

reque; tum illas, fasque esse libere, atque impune uiros petere, quod id uenenum alia extingui ratione nequeat. Ut quod alijs flagitium, mulieribus id apulis remedium esset. An non summa haec tibi quaedam felicitas uideatur? HO. Per Priapum summa. COM. Parce hospes obscenis obsecro. HO. Atque putabam mihi in Osa regione uti obscenis licere, cum populariter audiam iurari per Deorum uentres, perque icinora atque per eam partem cuius ipsos est Cynicos perpuderet. COM. An ignoras pessimum morum auctorem populum esse? quid enim habet, quod maximo etiam iure non improbes? atque hanc quidem iurandi impuritatem mare attulit, utinamque hoc solum a Catalanis didicisset noster populus. Sic ab ijs accepimus, nec est, quod Neapoli, quam hominis uita minoris uedatur. quod nisi uester Blacas Esculapius alter curator accessisset maiorem civium partem excisis auribus, labijs, aut naso mutilo uideres, scortari quoque sine pudore didicimus, atque in propatulo habere pudicitiam. Inuentus nostra lustris dedit, quod locandis noctibus a meretricula quaeritur, ipsa die ligurit. Ideoque innocentissimus olim populus dum a Catalonia reliquaque Hispania comportandis gaudet mercibus, dum gentis eius mores admiratur, ac probat, factus est iniquatissimus. Sed quando accusari haec possunt magis quam corrigi, nec satis est tutum, dicere de populi moribus desinamus. Quod autem ad iusiurandum attinet, Scythas maxime laudare solebat Antonius, quibus non per Deorum capita, aut corda ut his ipsis Hispanis, non per corpora, ut nostris, sed per conuictum iurare mos esset. At poenos maxime irridere, qui per triplex iurarent uxoris repudium, quippe quam ubi ter quis repudiasset, reuocare amplius in domum fas non esset. Sed qui praeterit percontandus est, ut Antonium iam agamus.

imo ab initio
neapolitanis
habuere, haec
uirtus, lege colec-
nutium, et ali-
os,

COMPATER NEAPOLITANVS. PERE-
GRINVS. HOSPESSICVLVS
COLLOCVTORES.

EVSViator. PER. Sessores saluete. COM. Tu
h ut uideo de sole aestuas. PER. At uos ut sentio de
umbra frigetis. COM. Hic homo sit nisi fallor. PER.
Hi madesunt quae satis scio. COM. Heus hospes dic
quae so. PER. Heus ciues tacete obsecro. COM. At nos scire ex te quae
dam uolumus. PER. At ego sciscitari pauca. COM. Sciscitator.
uacat. atque etiam si placet sedeto. PER. Ad Regem propero, ad

CHARON

Regiam utra ducit uia? COM. Vtraq; Sed quænam salutandi Regis causa? hoc enim ipsum scire cupimus, itaq; uicem redde. PER. Nimis quàm timeo nostræ Reipublicæ, ne paucis post annis occisione occidant populi. COM. Ab gladio ne an à pestilentia, an à diluione timendum est nobis? Equidem et te syderum progressionem obseruasse reor, quando astrologorum est has clades prædicere. PER. Certiora affero. Maxima in singulis non modo oppidis, sed penè domibus uis est Gallorum septennium. eos satis compertum est anno septimo parere, enasci q; basiliscos serpentes, quorum obtutu homines infestè pereant. Quod nisi à Rege probe prospectum fuerit, actum est de Regni Neapolitani populis. Opus autem esse ut singulis in oppidis, singuli deligantur cauti, & solertes uiri, qui hæc mala Gallorum cæde procurent, uideant q; ne quid Reipublicæ detrimenti capiat, Ego hac de causa, atq; ut Reipublicæ profim meæ, ad Regem eo uos ualete. COM. Abi bone ciuis, deq; patria benemerite. Dii boni, quàm multiplex est hominum stultitia? quàm inanes cogitationes? quid uanitatis in uita? quanta inanissimarum etiam rerum sollicitudo. An est hospes quæ irridere hoc homine magis possis? si ridenda quæ miseranda potius stultitia est nostra. HO. Quid obsecro ad hæc Antonius? COM. Fabellam hic aliquam supertexuisset qua declarare amplius posset hominum leuitatem. Calletiam olim mulierculam uictum quaeritasse Caietæ. Hanc cætera uitæ munera obuisse satis laboriose atq; industrie. Cui autem Alphonfus Rex Caietæ diuersaretur aliquando, uideret q; Calletiam, tum uiros tum matronas, omnes deniq; id agere, quo maxime modo Regem honorificentissime exciperet, eam panis supra pudèda compositis proficiscentem ad rem diuinam Regem, et præcedere in pompa nudato femore, & recedentem in regiam eodem habitu reducere solitam, nullisq; abduci potuisse rationibus, quin hoc honoris genere (sic enim dicebat) Regem prosequeretur. Quo circa explicandis fabellis Antonius uel improbare quippiam solebat, uel laudare. HO. Bellissimè hominem. Sed præconem hunc audiamus qui tantum sibi facit in populo audientia. Regium uidelicet edictum. nunq; uidi turgidiores buccas puto ego hominem fermento uesci. quos clamores Dii boni? PRAECO. LICERE, FASQUE ESSE IOVIANVM PONTANVM QVI HABITAT IN PROXIMO, TVTO EGREDI DOMO, TVTO PER VRBEM INCEDERE, TVTO ETIAM DE REBUS LATINIS LATINVM HOMINEM DISSERERE, ISTOS VERO GRAECISSANTEIS HOMINES, ATQVE ITALOGRAECOS, NIHIL EI MALEDICE-

RE, NIHIL INCESSERE, NON OCVLIS, NON BARBA, NON SVPERCILIIIS, NON DENIQVE VLLA GRAECA ARTE ILLVDERE. HOC REGEM IPSVM EDICERE. SI QVIS SECVS FECERIT, BARBAM EI EVELLERE IMPVNE LICERE, PILLEVIVM AVFERRE, CREPIDVLLAS ERIPERE. QVOD EDICTVM SANCTVM ESSE OMNES SCIANTO, ID'QVE TVBA HAC TESTOR. HO. Quid obsecro Iouiano huic graeci ne tam sunt infestū? COM. Quin ipse graecorum est studiosissimus, eorumq; ueneratur disciplinas, ac suscipiat ingenia, nec est quod graecos timeat. Esse autem nostraters quosdam adolescentes, eosq; nuper è Graecia redisse, qui cum nec graece sciant, nec latine, esse tamen gloriosissimos, quibus si barbam, pilleolumq; ademeris, nihil omnino graecum habeant. Eos ait, & graecae, & latinae orationis inculcatores esse, ubi cum graecis fuerint, mussitare, cum latinis autem mirum esse, quam graece omnia hinc illos irasci & pene furere, horum timeri audaciam, ceruicesq; insolentissimas. HO. Quid ipse didicit ne graecas literas? COM. Eas adolescens attigit, sed in Italia, nam in Graecia magis nunc Turcicum discas, quam graecum. Quicquid enim doctorū habent graecae disciplinae, in Italia nobiscum uictitat. HO. Satis haec noui. Sed obseruemus pilleatulum hunc. COM. Recte mones. HO. Quidnam is succinit? at uide quam sibi placet, atq; utinam praeteriens salutaret. PER.

» ἀριστον ἰδὸν ὕδωρ.

Quid sibi haec uolunt uerba? COM. Rem optimam ait esse aquam. HO. An hic nos accusat ut parum sobrios? ego tam insignem iniuriam non feram. COM. Parce hospes. Pindariat est sententia, etiam ab Aristotele laudata. PER.

» -ὁ δὲ

» χρυσοῦς αἰθόμενον πῦρ

» ἄτε διαπρέπει vu-

» ὑπὲρ μέγαντος ἔξοχα πύρ.

HO. An pergit maledicere? COM. Desine commoueri. aurum laudat. HO. Heus tu graecanice homo, quid malam in rem non te hinc proripis. Iudaeis aurū et foeneratoribus laudato. COM. Iram ponito. abiit. Hos uētris crepitiibus similes dicebat Antonius, nares tantum offendere, caetera uentū esse, se quidem uentosos esse, ac putidos. Sed quando suffraginatulus iste iam abiit, nos ab Antoniana consuetudine aut quærendi aliquid, aut dicendi ne recedamus. Et iam dudum uideo Hericum hunc dicere. aliqd

uelle. *Quamobrem dicentem audiamus.*

HERRICVS PVDERICVS. ADOLE
SCENS. SENEX. HOSPES.

MMONVERE Me qui nuper præteriere adolescen
tuli Neapolitanæ nobilitatis, quæ prope iam interijt.
Etenim cum consydero iuuentutem nostram præter ma
iorum instituta, domi, ac sub porticibus desiderere. Eos ue
ro qui Rempu. administrant, publicorum oblitos morum, nihil nisi
suas tantum res agere, atq; in priuatum consulere, non possum non
deplorare nostræ nobilitatis interitum. Dÿ boni, Ladislao Rege quæ
nostrorum cuium domi, forisq; erat industria? q̄ honesta de omni
virtute contentio? Certamen erat domi ne senes æquitate atq; consilio,
an foris iuuentus fortitudine ac fide maiore Rempu. gererent. Itaq;
uideres seniores præsidere prouincijs, moderari populos, iuuenes in
maximis rebus, ac periculis Regi adesse, certare qui fortiorem naua
re posset operam. Adolescentulos murum immodum à primis annis
meditari patrium decus, equitando, iaculando, semper aliquid agen
do, quo ipsorum apparere posset industria. nunc placet otium atq; mol
lities. Sequimur Scorta. desydemus in ganeis. Alea in manibus est,
atq; fritillus. turpissima quæq; habentur in pretio. Contentio est cuius
uxor, soror, filia, pluris ueneat, nullumq; inter ignauos, fortesq; di
scrimen, nisi quod fortitudo odio est, atq; contemptui, ignauissimus q̄q;
maxime cærus, acceptusq; multitudini. Iura, pietas, decus, demum o
mnia uenalia. Sed me ipsum compescam, reuertarq; ad Antonium,
atq; hunc qui præterit potius adolescentie percunctabo. Amabo unde
tantum hilaritudinis tecum affers bone adolescens? ADOL. Meo
ab antistite. HER. Obsecro nisi præproperas, hilaritudinis tantæ
nobis rationem explicat. ADOL. Laborabat ex intestini plenio
ris morbo meus Antistes, de cuius salute medica cū desperassent, unus
Panuntius archiater, solâ hâc salutis relictam spem docuit, si dispo
sso intestino animâ inclusam expederet. Eû igitur, cū diem totum Deos
orâs contriuisset, nec aliqd exploderet, reuersus Panuntius monuit,
uti corporis salute desperata, pro animæ salute deos fatigaret. Tû ille
in deos deasq; conuersus, integrâ ferè noctem in genuu lametationi
busq; exegit, dū peccatorû condonationem, ac uitæ cœlestis tranquil
litatem cœlites ipsos orat. Aderat familiaris ingenio non adeo super
stitioso, qui Antistitis quæstus, precesq; non satis æquo ferens animo,

Ecquæ